His verbis aperte ostendit Augustinus sane dici posse et debere semper filium nasci. Quod videtur contrarium illi verbo Gregorii premisso, scilicet non possumus dicere semper nascitur. Augustinus in libro lxxxiii questionum de semper nato disserens ait: Melior est semper natus quam qui semper nascitur, quia qui semper nascitur nondum natus est et numquam natus est vel natus erit. Si semper nascitur, aliud est enim nasci, aliud natum esse. Ac per hoc numquam filius est, si numquam natus est. Filius autem est quia natus est, et semper filius, semper ergo natus. Exponit premissa verba ne putentur inter se contraria

Sed ne tantorum auctorum in tanta re sibi contradicere videantur, illa verba Gregorii benigne interpretemur, dicentes intelligi quod Christus ante tempora natus est de patre, vel potius quod non tempus esse nec desistit dicamus vere semper natus est. Sed quod verius dicitur hic scilicet quod filius semper natus quam illud, scilicet quod ante tempora de patre natus est. Aliud enim sincera et catholica fides tenere ac predicare videtur. Quare ergo ait: Dicamus verius, cum utrumque perfecte sit verum, nisi quia nolebat intelligi hic ad maiorem evidentiam et expressionem veritatis quam illud. Hiis etiam verbis omnis calumpniandi occasio hereticis obstruitur aditus. Verbum Christi filii divinitatem coeternam sine initio et sine fine esse ac perfectam monstratur. Non enim adeo aperte manifestatur veritas cum dicitur filius ante tempora genitus est de patre vel filius semper nascitur de patre, et ideo dicit Gregorius quod non possumus dicere semper nascitur, non in quod ita conveniret, sed quod non ita congrue ad explanationem veritatis. Potest tamen dici si sane intelligatur: semper enim nascitur filius de patre, ut ait Origenes, non quod cottidie iteretur generatio illa, sed quia semper est, semper ergo nascitur, id est nativitas eius sempiterna est.

Quod filius semper generatur confirmat ex dictis Hylarii

Hylarius quoque dicit filium nasci de patre in libro vii de trinitate: Hiis [verbis] lucet viventis dei et nec est nec vivendi potestas est, et quod cum sacramento suae ex quo nascitur non potuit aliud esse quam vivens. Nam cum ait: Sicut misit me vivens pater et ego vivo per patrem, per eum docuit vitam in se per viventem patrem in esse. Ecce hic habes quod filius ex patre nascitur. Item in eodem: Cum dicit Christus: Sicut pater vitam habet in semetipso, sic et filio dedit vitam habere in semetipso, omnia vivia sua ex vivente testatus est. Et aut ex vivo vivum natum est, habens nativitatis perfectum sine novitate nature. Non enim novum est quod ex vivo generatur vivum, quia ex nichilo est et vita que nativitate sumitur ex vita nature est per nature unitatem et perfecte nativitatis sacramentum, ut et in vivente vivat et in se habeat vitam viventem. Ecce et hic habes quod generatur a vivo vivens filius. Item in eodem libro: Totum quod est vivit. Deus enim vita est et ex vita non potest esse quicquam nisi vivum, neque ex decisione sed ex virtute nativitatis est. Ac sic dum totum quod est vivit et dum totum quod ex eo nascitur virtus est, habet nativitate filius non demutationem. Hic dicit quod nascitur. Item in xii libro: Donat pater filio tamen esse quicquid ipse est cum in nascibilitatis esse unigenite sacramento nativitatis impertit, que ex se in forma sua generat. Hec dixit quod generat pater filium.

Breviter docet quid de hoc credendum sit

Teramus ergo filium de patre natum ante tempora et semper nasci de patre, sicut convenientius semper natum, et eundem fateamur aberno esse et patrem coeternum, id est auctori. Pater ergo generatione auctor est filii, ut in scriptura ostenditur. Ut ergo

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_326/0039

MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG